



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio I. De Attributis in Communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DISPUTATIO II.

De attributis Entis.

Atributa entis tria communiter numerantur. Unum, Verum, Bonum, quæ in particulari ut melius intelligantur. *Sic*

QUÆSTIO I.

De attributis in communi.

QUÆRES I. *Quid sint attributa?* Rigorose loquendo, aliud esse passiones, aliud attributa, quia respectu DEI dantur proprie attributa, non tamen assignantur aliqua propria passiones Dei. Imò passiones ut plurimum supponunt pro proprietatibus physicis, quas subiectum patitur, pro quo ut plurimum, non supponunt attributa; quamvis ista, interdum in idem incidant. Hinc indifferenter dicimus: unitatem esse passionem Entis, vel attributum Entis. Si qui accipere vellet rationem communem ad passiones & attributum, diceret, quod sit perfectio emanans ab essentia in suo esse constituta, & si sit perfectio physica, erit emanata & recepta physice, adeoque passio sine addito. Si autem emanata sit ex modo concipiendi, si sit perfectio entis, quod nemine cogitante potest habere rationem subiecti, dicitur passio Metaphysica. Si autem sit entis cui esse subiectum (à parte rei) nemine cogitante non convenit, qualis est solus Deus, dicitur potius esse attributum. Ratio autem communis Logicè attributi, est, quod sit ratio prædicabilis, in secundo modo dicendi per se.

QUÆRES II. *An dentur attributa entis?* Dantur. Tum quia dantur prædicata quæ intelliguntur emanata ab omni ente. Tum quia ita expressè Aristoteles 4. Metap. t. 2. §. 6. ubi præcipue ait de unitate, & 1. Poster. c. 1. Ea autem quæ in oppositum obijciuntur probant non nisi, quod attributa non sint passiones physice: quamvis autem includens & inclusum, in ordine physico, dici de se non possint ad convertentiam; secus includens & inclusum Metaphysicum, sufficietque ut habeat rationem proprietatis, distinctio per rationem, & ratione connotatorum.

QUÆRES III. *Quenam sint attributa entis?* Asseritur communiter tria esse, Unum, Verum, Bonum, & ad Unum quidem revocatur esse idem, & tanquam oppositum, revocatur, esse differens. Ad Verum autem revocatur esse immutabile, cognoscibile &c. Ad Bonum revocatur esse appetibile. Porro existentia non tam est passio, quam potius præsuppositum quid passionibus, quæ ex ente existenti emanant, duratio autem & ubi, cum sint variabilia, non merentur rationem passionis & attributi. Nec esse rem & esse aliquid merentur rationem passionis, sed coincidunt cum ipso ente. Plura de his, sed non multum disputabilia, vide apud alios.

QUÆSTIO II.

De attributis in particulari.

Inter attributa non datur ullus ordo realis, cum enim identificentur enti, sicut ens se ipso non potest esse prius nec posterius; ita nec attributa inter se priora erunt realiter; nec est inter illa ordo aliquis causalitatis; hinc ad invicem ad se dicunt subsistendi consequentiam, est tamen inter attributa ordo aliquis rationis, secundum quem per prius ex communi sententia, dicitur aliquid esse unum; quam verum, & per prius verum, quam bonum, cujus prioritatis hæc est ratio. Prius est esse indivisum quam esse obiectum intellectus, quia esse indivisum, dicit perfectionem in ordine ad se, prius autem est aliquid esse in se, quam in ordine ad aliud. Si autem esse indivisum est prior perfectio, præesse obiectum intellectus, prius etiam erit unum quam verum; quia unum dicit esse indivisum, verum autem, dicit obiectum intellectus, quod ipsum, quia est prius præ obiecto voluntatis, quia & ipse intellectus prior est voluntate, sit ut verum, quod est obiectum intellectus, sit prius, præ bono, quod est obiectum voluntatis. An autem veritas secundum aliquam considerationem prior sit etiam Unitate alibi dicitur.

DIF.